12

13

Q. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

PLEURITIDE,

Autoritate

Ordinis Medicorum Gratioſi

in

INCLUTA PHILUREA,

PRO LICENTIA

Gradum & Privilegia Doctoris

ritè capeſſendi,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO atq; EXPERIENTISSIMO

DN. JO. FRIDERICO ORTLOB.

Philoſ. & Med. Doctore, Anatom. & Chirurg. P.P. Extraord. celeberrimo, Facult. Medicæ Aſſeſs. & Maj. Principum Collegii Collegiato graviſſimo,

Patrono atque Præceptore ad aram usque devenerando,

Ad d. XI. Novembr. Anno ab O. R. M. DC. XCVI.

H. L. Q. C.

Publicæ cenſuræ expoſita

à

JOH. ABRAHAM Beer/ Breg. Sil.

Med. Baccal.

Literis GOEZIANIS.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

24692

NOn adeò à veritate alienum eſt, quod antiquitas partes, quæ in thorace continentur, vitalium nomine inſigniverit, vitæque velut regiam in iisdem collocârit. Quantumvis enim ſpiritus vitalis hoſpitium illic ſtatuere vix videatur commodum, flammula etiam, aut calidum innatum, quod aliqui eò reponunt, multis adhuc dubiis obnubiletur; titulo tamen illo privari eapropter non debent. Nimirum cor motus ſanguinis, pulmones communicationis cum aëre præcipuum inſtrumentum ſunt, unde utrinque vitalitatis noſtræ ratio ſ. n. maximoperè pendet & dirigitur. Similiter ubi in ſtatu p. n. contigerit, ut dictæ partes in actionibus ſuis impediantur, toti corporis noſtri machinæ, aut potiùs vitalitatis mechaniſmo ruinam imminere in aprico eſt. Quid? annon aliarum quoque partium morbi, ſi mortem inferant, has quoque quatere & ſimul afficere neceſſum eſt? Aſſerto huic noſtro quàm maximè patrocinatur pleuritis, quæ, licet in ipſis partibus vitalibus nidum ſuum non ſtruat, ſed continentes ſaltem occupare ſoleat, ob viciniam tamen tantoperè ſævire, illarumque partium actiones morari conſuevit, ut exinde hominis vitæ fatalem ſæpè cataſtrophen imponat. Eandem igitur dignam habui, quam thematis Inauguralis loco tractandam aggrederer. Quod ut eò commodius fieri poſſit, primùm *hiſtoriam* enarrabo, & in affectus *denominationem*, *partem affectam*, atque *cauſas* inquiram, ut quis, & quotuplex ſit, quomodo cognoſcatur & diſtinguatur, ſive *diagnoſis*, quid ſpe-

randum aut metuendum, ſive *prognoſis*, atque indicationes & indicata, ſive *therapia* melius erui poſſint. Te verò, B. L., humaniſſimè rogo, ut qualemcunque conatum meum æqui bonique conſulas, veniamque, ſicubi erravero, concedas. DEUM autem T. O. M. ſupplicibus veneror precibus, velit talia meditanti divinâ ſuâ gratiâ aſſiſtere atque ex alto benedicere.

I.

QUod ſi tragicam affectus noſtri *hiſtoriam* perpendimus, præ aliis attendi meretur *dolor*, α) qui ſatis atrox & vehemens, β) punctorius, γ) & diſtenſivus δ) in alterutro latere medii ventris perſentitur, ita quidem, ut non modò à clavicula ad hypochondria, ſed quoque dorſum verſus ad ſcapulas usque diffundatur ε). Adeò exquiſitus eſt, ut, quamvis internas partes corripiat, etiam ad externum contactum ægri contremiſcant. Eum modò decubitus in affecto, ζ) modò in oppoſito latere auget η). Præcipuè verò ex *reſpirationis* motu ſummoperè intenditur θ), ut hæc *difficilis* exinde fiat, aut ob metum doloris, ex ejus neceſſitate provenientis ſuſpendatur, atque maximo cum periculo & incommodo inſtituatur. Siquidem etiam *tuſſis* ſymptomatis his accedit, quæ in initio ſicca ι) & crebra, poſtmodùm humida

κ) eſſe

α) *Hippocr. de morb. Lib. III. Sect. XIX. pag. 109.* β) *Sydenham Oper. edit. Lipſ. pag. 331.* γ) *Z. Luſit. Prax. Hiſtor. Lib. II. Cap. III. pag. 295. Joël Oper. Med. Lib. III. Sect. I. pag. 275. B. Ettmüller. Prax. p. 332. Waldſchmid. in not. ad Prax. Barbett. Lib. III. cap. I. pag. 387.* δ) *Avicenn. Lib. III. Fen. 10. Tract. IV. cap. II.* ε) *Z. Luſit. Prax. Hiſtor. Lib. II. cap. III. p. 298. Sydenham Oper. edit. Lipſ. pag. 331.* ζ) *Bellinus Tract. de Urinis & pulſibus. pag. 655.* η) *Waldſchmid. Prax. pag. 47.* θ) *B. Ettmüller Prax. pag. 332.* ι) *Joël Oper. Med. Lib. III. Sect. I. pag. 275. Bellinus Tr. de Urinis & pulſ. pag. 655.*

κ) eſſe ſolet, quâ ſputum utplurimùm mucoſum, albicans, λ) interdum ſatis coloratum μ), flaveſcens ν) vel cruore tinctum ξ), vel ſub declinationem etiam purulentum ο), ſatis copioſum π), & longo tempore rejicitur: interdum adeô ſalſum & acre obſervavit *Thonerus* ϱ) ut fauces eroſerit. In iis verò, queîs expectoratio ſupprimitur, reſpirationis difficultas plurimûm augetur σ). Præcedaneo utplurimum horrore, & levi frigore τ), calor affligit υ), & *febrem* φ) teſtatur, quæ modò continentem χ) refert, modò tertianam ψ) æmulatur. Genam illius lateris, quod patitur, rubere *Waldſchmidius* ω) ſignificat. *Pulſus* eſt frequens a), durus b), interdum inæqualis c), imò quoque intermittens. *Urina* intenſè rubet, & clara eſt d), ſub declinationem de-

A 3 mum

κ) *Fernelius Patholog. Lib. V. cap. XI. p. 114. Waldſchmid. Prax. Med. Caſ. XVIII. pag. 47. Burnett. Theſaur. Med. Pract. Lib. XIV. Sect. XXX. pag. 456.* λ) *Fernelius l. alleg.* μ) *Meth. vitand. error. in morb. id. perquirend. Lib. I. pag. 20. Burnett. l. all. pag. 456.* ν) *Z. Luſit. Prax. Hiſtor. Lib. II. cap. III. pag. 295. Waldſchmid. Prax. Med. pag. 47.* ξ) *Timæus Lib. II. de Morb. med. Ventr. Caſ. V. pag. 88. Fernelius Pathol. Lib. V. cap. XI. pag. 114. Burnet. loc. all. Waldſchmid l. all. pag. 47.* ο) *Timæus loc. cit. pag. 88.* π) *Sydenham Oper. edit. Lipſ. pag. 331.* ϱ) *Obſerv. Medicinal. Lib. III. Obſ. IIdâ.* σ) *Sydenham l. all. pag. 331.* τ) *C. Piſo Obſervat. Sect. III. cap. IX. pag. 304. Waldſchmid Prax. Med. pag. 47. Sydenham Oper. edit. Lipſ. pag. 331.* υ) *Waldſchmid l. all. Sydenham loc. cit.* φ) *Fernelius Patholog. Lib. V. cap. XI. p. 114. C. Piſo loc. cit. pag. 304.* χ) *Bellinus Tr. de Urin. & pulſ. pag. 655.* ψ) *Burnet Theſaur. Med. Pract. Lib. XIV. Sect. XXX. pag. 456.* ω) *Prax. Med. pag. 47.* a) *Fernelius Patholog. Lib. V. cap. XI. pag. 114.* b) *Sanctorius Method. vitand. error. in morbor. ideis perquirend. Lib. I. pag. 20. B. Ettmüller Prax. pag. 332. Bellinus in Tract. de Urin. & pulſ. pag. 655.* c) *Z. Luſitanus Prax. Hiſtor. Lib. II. cap. III. pag. 295. Fernelius loc. cit. pag. 114. Timæus Caſ. Medic. Lib. II. pag. 88. & 89.* d) *Waldſchmid Prax. Med. pag. 47.*

mum, & remittentibus ſymptomatibus turbata coctionis ſigna præbet, quin & nonnunquam pus admixtum habet *e*). Moleſtant ſimul virium imbecillitas *f*), appetitus proſtratus *g*), cum alvo modò *h*) ſuppreſſa, modò *i*) fluente, quibus in aliquibus cephalalgia k), inquietudo *l*), convulſiones *m*), & præſertim faucium conſtrictiones *n*) junguntur.

III.

Sunt verò etiam alii, in quibus ſymptomata remiſſiora obſervantur, quædam etiam planè abſunt. Dolor nimirum non adeò penetrans, acutus & punctorius *o*), ſed diſtenſivus *p*) potiùs, nec adeò fixus eſt, & externè magis *q*), atque circa coſtas ſpurias reſidet. Febris aut nulla *r*) aut exigua, & lenta *s*) magis, aut catarrhalem referens affligit; lingua, quæ illic arida, hic mucoſa potiùs, reſpirationis etiam non tanta *t*) difficultas deprehenditur, quam ubi profundius, & cum partium nimiâ extenſione ſpiritus ducitur. *Foreſtus* *u*) exſpirationis majorem difficultatem, quàm inſpirationis ægros ſentire perhibet. Et licet tuſſis tanta cum moleſtia *x*) non laceſſat, interdum tamen cum pituitæ rejectione incommodum ſatis inſigne affert *y*).

IV. Quan-

e) *Benivenius de abditis cap. 43. Langius epiſt. 40. Tom. II.* f) *Waldſchmid loc. cit. Act. Haffnienſ. A. 1673. Obſ. LXXXVI. p. 206.* g) *Dolæus Encyclop. Med. Lib. II. Cap. III. §. 3.* h) *Sydenham Oper. edit. Lipſ. pag. 332.* i) *Waldſchmid. Prax. Medic. pag. 48.* k) *C. Piſo Sect. III. Obſ. Cap. IX. pap. 304. Dolæus Encyclop. Med. Lib. II. Cap. III. §. 3.* l) *Sydenham Oper. edit. Lipſ. pag. 331.* m) *Williſius Pharm. Rat. Sect. I. Cap. X. pag. 110.* n) *Decker. Exerc. Med. Pract. pag. 585.* o) *Jüngken Prax. Medic. pag. 863.* p) *Foreſtus Lib. XV. Obſ. 43.* q) *Idem Lib. 16. Obſ. 43.* r) *Sennertus Pract. Lib. II. Part. II. Cap. XVI.* s) *Jüngken Prax. Med. pag. 863.* t) *Foreſtus loc. all.* u) *loc. all.* x) *Jüngken loc. cit.* y) *Horſtius Op. Med. Tom. II. Lib. I. Obſ. XXIV. pag. 16.*

III.

Quandocunque recenſitam ſymptomatum ſyndromen ægros moleſtare deprehendunt, *pleuritidem* medici vocant, eâ tamen cum differentiâ, ut dolorem lateris cum febre, & ſymptomatis gravioribus primò deſcriptum *veram*; ſine febre, aut cum mitiore, ſymptomatisque remisſioribus *notham* appellent.

IV.

Utrinque ergô communè nomen pleuritis eſt. Vox origine Græca à pleura, quæ membranam interius thoracem ſuccingentem, *Bartholino z), Blancardo α), Diemerbroeckio β), & Caſe γ)* notantibus, ſignificat, derivatur; quia eandem pro parte affectâ communiter agnoſcunt pathologi. Quare *Gorræo δ)* πλευρῖτις etiam ſtrictiore ſenſu nullum alium affectum; quàam pleuræ ſolius inflammationem, denotare fertur. Uſu nihilominus venit, ſpeciale hoc nomen generaliùs de omni illo morbo, licet interdum alias quoque deprehendat partes, adhiberi. Vocari etiam aliis ſolet pleureſis, quæ tamen omnem potius morbum & dolorem lateris alterutrius vel utriusque, deſignare *Brunoni ε)* dicitur. Aliis hunc morbum lateralem appellare placuit, *Mœbio ζ) & Joële η)* atteſtantibus; quod præcipuam ſuam ſedem in latere defigere ſoleat. Convenit his Germanicum nomen, quod affectum noſtrum titulo Seitenweh / vel Seitenſtechen exprimit. Eo autem correpti antiquis dicebantur βληθοὶ ſ. ſidere icti, quod in mortuis latus lividum reperiretur, & plagæ ſimile quidpiam appareret. θ)

V. Pars

---

z) Anatom. Lib. II. Cap. IV. pag. 223. α) Anatom. reformat. Part. II. Cap. 33. pag. 274. β) Anatom. Lib. II. Cap. IV. pag. 425. γ) Compend. Anatom. Cap. V. pag. 108. δ) Defin. Med. pag. 378. ε) in Lexic. ſuo ad voc. pleurit. pag. 707. ζ) Fund. Med. Phyſiolog. pag. 293. η) Oper. Med. Tom. II. Lib. III. Sect. I. pag. 274. θ) Hippocr. de Vict. rat. in acut. Aphor. 35.

V.

Pars affecta, ſive ſedes hujus mali à plerisque membrana thoracis partem internam ambiens, ſive pleura ſtatuitur. Solam eandem pati *Williſius* ι) probare nititur. Plerorumque aliorum ſententia præter pleuram, & eidem incumbentes muſculos intercoſtales internos pro ſubjecto morbi ſimul habendos eſſe innuit, quos inter *Riverium* κ), *Sennertum* λ), *Dolæum* μ), *Sydenhamium* ν), *Waldſchmidium* ξ) nominaſſe ſufficiat. Vix enim credunt poſſibile, ut membrana illa afficiatur, quin ob viciniam non tantùm, ſed connexionem muſculi quoque illi inflammatione corripi debeant. Quamobrem, ut ab horum partibus ſtemus, ratione & experientiâ adducimur. Hæc enim oſtendit in ſectionibus cadaverum hominum morbo illo denatorum, malum interdum, non modò nominatas partes obſediſſe, ſed etiam ad alias vicinas radices exſeruiſſe. Ut proinde membranam quoque pulmones exteriùs inveſtientem, item mediaſtinum, pericardium affectum fuiſſe *Sennertus* ο), *Platerus* π), *Z. Luſitanus* ϱ), *Salmuthus* σ), *Otto Heurnius* τ), *B. Ettmüllerus* υ), *Jungkenius* φ), *Gladbachius* χ), aliiq; obſervârint. Imò id ipſum jam olim deprehendiſſe legitur *Galenum* ω), *qui in magnis pleuritidibus ex ſymptomatis* cognoſci perhibet *partes nervoſas diaphragmatis & ſepto adhærentem membranam, quâ ad cor continuatur,* labo-

---

ι) *Pharm. Rat. Sect. I. Cap. IX. pag. 102.* κ) *Prax. Med. Lib. VII. Cap. II. pag. 248.* λ) *Pract. Lib. II. Part. II. Cap. XVI. pag. 311.* μ) *Enyclop. Med. Lib. II. Cap. III. pag. 272.* ν) *Oper. Edit. Lipſ. pag. 332.* ξ) *in not. ad Prax. Barbett. Lib. III. Cap. I. pag. 387.* ο) *Pract. Lib. II. Part. II. Cap. XVI.* ϖ) *Prax. Lib. II. Cap. XVI.* ϱ) *Prax. admirand. Lib. II. Obſervat. 138.* σ) *Centur. I. Obſervat. XV.* τ) *Obſervat. XII.* υ) *Oper. Med. pag. 330.* φ) *Prax. Med. pag. 863.* χ) *Id. Prax. noviſſ. pag. 411. & 412.* ψ) *Lib. IV. de præſag. ex pulſ. Cap. V.*

laborare. In nothia pleuritide utplurimùm pleura inſons eſt, & muſculi tùm pectoris ω) tùm præſertim abdominis afficiuntur, quod ex doloris loco & modo facilè deprehenditur.

VI.

Ex *cauſis*, quæ pleuritidem inferunt, primò nominanda eſt *continens* ſive proxima. In vera tantùm non aſſentientibus omnibus pathologis, inflammatio, vel pleuræ, vel plurium ei vicinarum aut connexarum partium in ejus locùm reponitur. Hanc enim non modò ardoris ſenſus, & dolor punctorius, qui pulſatilis nonnunquam redditur, ſed etiam conſequentia ejus, quod, niſi tempeſtivè diſſipetur, ſuppurari ſoleat, demonſtrant. Quid? annon ex eadem inflammatione cuncta illa, quæ pleuritidem comitantur ſymptomata vel ſponte derivari valent. Nimirum ex irritatione partium reſpiratloni dicatarum, tusſis, & quod eædem inflammatæ difficulter motum illum reciprocum in reſpiratione exercere posſint, hujus difficultas oritur. De ſputi, per quod morbifica materia exitum quærit, & cruentum interdum eſt, ad pulmones viâ inveniendâ multùm aliqui ſolliciti ſunt. Aſt ex eadem ſtagnatione fluit, quod ſerum æquè ac ſanguis in pleura remoram nectens ad vicinas partes ſe exſerat, & per pulmonum cellulas ad aſperam arteriam pro expectoratione deponatur, ſiquidem circulationis necesſitas id innuit, ut factâ alicubi ſtagnatione eadem ad alias quoque partes extendatur. Non modò in ipſa pleuritide hinc ad renes ſanguis reſtagnans ſe exonerat, ſed aliis quoque ex phænomenis probari poteſt, ſanguinem, tùm in motu ſuo inhibetur, alibi & ſæpè longinque erumpere, ex. gr. quando ex menſium

ω) *Sennertus Pract. Lib. II. Part. II. Cap. XVI. pag. 229.*

ſuppreſſione, hæmoptoë, hæmorrhagia per nares, aliasque partes contingit. Nec febris ætiologia aliunde conquirenda eſt, cum conſtet ordinariò ob interceptam ſanguinis circulationem, inflammationibus quibusvis majoribus, & quæ partes nobiliores infeſtant, febres eſſe ſocias, quod ex angina, peripneumoniâ, phrenitide, hepatitide, propriè dicta nephritide, febre vulnerariâ, pluribusque aliis eluceſcit.

VII.

Inflammationis verò formalitas, *aut* in obſtructione vaſorum venoſorum, *aut* in ſtagnatione ſanguinis quæritur. *Priorem* à venoſo ſanguine contingere *Sylvius a)* exiſtimat. Eam tamen ætiologiam plurimi recentiorum ideò inficiantur, quod ſanguinis circulatione ſtabilitâ ejuſmodi obſtructiones vix probabiles videantur, cùm ſanguinem ab exiliſſimis orificiis venarum abſorbtum, atque à partibus reducem ex anguſto in auguſtum promoveri, & tamen hærere, vel ipsâ mechanicâ rationem ſuggerente, implicet *b)*. Ut alia taceam argumenta, quæ *Schelhammerus c)* eum in finem adducit. *Poſterior* opinio ſanæ rationi magis conſentanea eſt, quæ reſtagnare in partibus ſanguinem, ſive in circulo ſuo impediri innuit, quatenus partim intra fibras ſtrictiores liberum itum reditumque non invenit, partim copioſius & affatim admiſſus, tàm ſubitò & omnis per vaſa, quæ reducunt, remeare nequeat, quin partes exin diſtenſæ intumeſcere, dolere, & calere debeant. Quemadmodum verò in ſtagnante & diutiùs retento ſanguine motus inteſtinus à craſi naturali deficit, & tùm auctus, tùm depravatus ad ſuppurationem deducit, ita, ſi libera circulatio fieri poſſit, malum ſolvitur & ſymptomata cuncta evaneſcunt.

VIII. Ut

a) *Prax. Med. Lib. I. Cap. XL. pag. 281.* b) *in Tr. de Ortu Lymph. Biblioth. Anatom. Part. IV. pag. 722.* c) *loc. al. pag. 722.*

VIII.

Ut verò cauſas, quibus ſanguis ad inflammatoriam ejusmodi diatheſin deducatur, dilucidiùs exponant medici, varias in ſententias ſecedunt. *Hippocrates d*) inflammationes omnes ad fluxiones refert, & illas quidem, quæ à capite venirent, & in hac illâve corporis parte ſubſiſterent. Quid ergò mirum eſt, quod *Fernelius*, *e*) aliique ejus autoritate excœcati pleuritidem ex capite in pleuram deſtillare affirment. Bilem plerique veterum in ſanguine abundantem, e.g. *Sennertus f*), *Riverius g*), *Joel h*), *Thonerus i*) accuſant. Acidum coagulando ſanguinem in omni inflammatione cauſam eſſe *Sylvius k*) perſuadere allaborat.

IX.

Aſt quis circulationis negotio ab *Harvæo* declarato, viam fluxionum omnium à capite derivare, ſupervacaneum eſſe non videt, cum ſanguinis ad partes & à partibus omnibus affluxus, atque refluxus ad oculum hodiè pateat? Qui ergò humor in parte aliquâ ſtagnare deprehenditur, non à parte alia mandari putandus eſt, quàm quod motum per omnes inſtituendo in iis, in quibus reſtitet, obicem ſaltem inveniat. Accedit, quod viam, quas ſibi ab ἐγκεφάλῳ veteres fingebant expeditæ adeò non ſint, ſed à *Schneidero l*) & *Vieuſſens m*), ut alios ſileam, demonſtratum ſit luculenter, neque ad nares, neque per glandulam pituitariam ad reliquas partes humorem ex cerebro, craniique interioribus contentis, propullulare, aut decidere. Bilem, tanquam ſanguinis

 partem

d) *Lib. de loc. in hom. Cap. V. pag. 363. edit. Pariſ.* e) *Patholog. Lib. V. Cap. XI. pag. 113.* f) *Pract. Lib. II. Part. II. Cap. XVI. pag. 226.* g) *Prax. Med. Lib. VII. Cap. II. pag. 249.* h) *Oper. Med. Lib. III. Sect. I. pag. 275.* i) *Obſerv. Med. Lib. III. pag. 127.* k) *Prax. Med. Lib. I. Cap. XLVI. pag. 282.* l) *Tract. de catarrhis Lib. II. pag. 242.* m) *Nevrolog. pag. 201.*

partẽm integrantem, & in ſtatu naturali medici hodiè ignorant, & in ſtatu p. n. quod antiquis medicis bilis nomine venit, utplurimum nihil minus quam bilem eſſe, quem quæſo latet? Sic etiam à B. *Ettmüllero n*) rectè oſtenditur acidum, ſi prædominium in corpore habeat, non ſolùm ſanguinem, ſed & reliquos humores ad coagulationem & grumeſcentiam diſponere. Ut proinde eum ſanguinem, qui acido ſcatet, ad inflammationem inducendam aptum eſſe, nullus dubitem, ſed facilè largiar. Enimverò univerſalem, & omnium inflammationum, & in ſpecie pleuritidis cauſam unicam, & ſemper eſſe acidum, multis adhuc ex rationibus ambigo, cùm diverſas ejus cauſas, & ab acido interdum differentes, ſequentium tractatio manifeſtabit.

X.

Quemadmodum igitur ſanguinem ſtagnantem actu, & hinc natam inflammationem cauſam συνεχὴν ſive continentem conſtituere vidimus, quæ nobis *antecedentis* ſive προηγουμένης locum gerat, nunc declaranda eſt. Quoniam verò hanc in genere dicebant antiquitus *humorem redundantem, vel deficientem, probum, aut vitioſum, qualitates ſimiliter modum ſervantes vel excedentes, ad hæc robur, aut imbecillitatem ſingularum partium; o*) ita quali in ſtatu ſanguis & partes fuerint, diſpiciendum eſt, ſiquidem ſtagnationem inflammatoriam præſtare debeant. Cauſam proinde ejusmodi, *modò* maſſa ſanguinea, *modò* ipſæ partes, earumque conſtitutio præbent. *Duplex* verò *maſſæ ſanguineæ* ſtatus efficiendæ inflammationi aptus eſt, quantitas ſcilicet ejus excedens, ſive *plethora*, aut qualitas vitiata, ſive *cacochymia*. Sub *plethorâ* hic intelligo non modò ſanguinis copiam, & ubertatem, præſertim ex ſuppreſſionibus evacuationum ſolenniorum oriundam, ſed &, ſi idem aliàs non excedens, rarefa-

ctus

n) *Operum Med. pag. 330.* o) *Gorræus Defin. Med. p. 13.*

ctus in orgaſmum & turgeſcentiam diſponatur, atque hinc ſub tali conditione vaſorum continentium proportioni minus adæquatus ſit. Utrinque fibrarum renitentia, ſive tonus naturalis à ſanguine uberiore ſuperatur, ut plus admiſſo & reſiſtente ſyſtolen partes exercere, & ad debitos mæandros illum urgere nequeant. Sub *cacochymiæ* titulo non tàm qualitatum in M. S. diſproportionem, quàm cunctas conditiones ejus p. n. hic intelligo, ex quibus pleuritis ſoleat oriri. Ad tria verò generalia capita easdem reducere conveniet, *primò*, inflammationem hanc cauſatur ſanguinis, aut ſeri potiùs interfluentis viſciditas, atque lentor, unde fluiditate naturali deſtitutus in partibus hæſitat ac reſtagnat. Probat hanc ſanguis pleuriticorum plerorumque è venâ ſectâ miſſus, & refrigeratus, qui in thrombum mucoſum & palleſcentem concretus apparet, à quo ſuperficies abraſa exſiccata ad cornu duritiem pertingit. *p*). *Secundò* acrimonia humorum pleuritidem infert, quando fibræ à transfluente fluido acriore vellicatæ contrahuntur, viamque eo ipſo intercipiunt. Eam non dubitabimus huc referre, quod ex malignitate & ſcorbuto pleuritidem interdum naſci inferiùs docebitur. *Tertiô* nec reticere poſſumus diverſas quoque alias heterogeneitates, quæ ex aliis corporis partibus malè ſe habentibus, aut evacuationibus intempeſtivè ſuppreſſis cum ſanguine, à quo reſorbentur, ad pleuram transferuntur. Id enim pariter veritate niti §. XIV. dilucidabit. Sub *partium*, quæ ſtagnationem efficiant, conſtitutione hic notari velim fibrarum in eisdem, *modò* texturam laxiorem, qua tono deſtitutæ ſanguinis influentis impetum, nec moderari poſſunt, ſed uberiorem admittunt, nec iterum ulterius promovere valent: *modò* ſtrictiorem, ſi fibræ vel ex nativâ conſtitutione, vel à causâ adventitiâ obrigeſcentes fle-

p). *Sydenham Oper. edit. Lipſ. pag. 333.*

xibilitate debitâ careant: *modò* ſeriem fibrarum turbatam, quam contorſio inſolita, ictus, lapſus, irritatio producere poteſt, ut utrinque ſpasmodicè ſe habentes circulantibus humoribus obicem figant.

XI.

Rem ita ſeſe habere ex cauſarum procatarcticarum, ſive evidentium inveſtigatione diſtinctiùs eluceſcet, quibus nimirum, vel ſanguis inflammatoriâ ejusmodi diatheſi imbuatur, atque ſpecialiùs in cauſam continentem determinetur; vel fibræ quoque ſupra notatas habitudines ſuſcipiant. Cognitu hoc facillimum erit, ſi res *naturales*, *nonnaturales*, & *præternaturales*, ſcrutati fuerimus, quas pleuritidis cauſas occaſionales & ſatis evidentes fuiſſe, autorum obſervationes teſtantur.

XII.

Ex *rebus naturalibus temperamentum* in cauſa eſſe dicitur, idque *modò* bilioſum *q)* ab illis nimirum, qui bilem hujus mali cauſam eſſe aſſeverant. Rectius, me judice, quod acrimoniâ humorum ſcatet, atque à levi causâ ad excandeſcentias & commotiones impetuoſius concitatur. *Modò* phlegmaticum *r)* ſive quod ſero mucoſiore & condenſato gaudens ſanguini majorem ad ſtagnandum aptitudinem concedit. Huc refero etiam, vel fibrarum in corpore nativam teneritudinem, & laxitatem, quam præſertim obæſo nimis habitu gaudentes habent, vel firmitudinem & rigiditatem, qua ſicciora corpora pollent: Utraque verò conſtitutio pleuritidi obnoxia eſt. Ratione *ætatis* juvenes & ætate conſiſtente malo tentantur, quod ſanguis illorum ad rareſcentiam concipiendam aptior ſit: ſenes verò, quod ſpiſſior illorum ſanguis, partesque in officio ſuo languentes ſtagnationem facilè ſuſtineant.

XIII.

q) *Hippocrates Lib. I. de Morbis. Panarolus Pentecoſt. I. Obſervat. XXXVII.* r) *Hippocrates loc. cit.*

Inter res *non naturales, tum,* quæ neceſſariæ dicuntur, *tùm* non neceſſariæ pleuritidem induxiſſe leguntur. Ex *neceſſariis* 1) aer, duplici ratione malum producit, frigidior juſtò æque ac calidior. Frigidus humores noſtros inſpiſſando, ſive condenſando, poros partium conſtringendo, fibrasque rigore afficiendo: calidus fluida noſtri corporis plus juſtò exagitando, rarefaciendo, & turgeſcentiam inducendo inflammationem illam cauſantur. Utrumque enim experientia confirmat. Sic denudato corpori, præſertim incaleſcenti, ſi frigus adveniat *s*) aut ex potu frigido *t*) pleuritidem ortam eſſe, eamque ab *Hippocrate u*) & *Ballonio x*) inter hyemales morbos referri; & vice versâ in Solis æſtu diu commemorantibus *y*) accidiſſe compertum eſt. Eandem ob rationem tempeſtatum anni mutationes multum valent. Nam vere ad æſtatem, autumno ad hyemem inclinante, aut ſi hanc ver tepidius ſequatur, frequenter pleuritides graſſantur, ſecundùm *Hippocratis z*), *Sydenhamii α*) & *Car. Piſonis β*) teſtimonium, qui ab aquilonari conſtitutione ſæviente, maximè ſi auſtrina præceſſerit, idem γ) contingere ſcribit. Denique huc aliqui etiam pertinere ajunt aerem aliis quoque effluviis impprægnatum, quibus in inſpiratione intra corpus admiſſis, pleuritis ſuccederet, unde *Jungken δ*) acido peregrino imprægnatum, B. *Ettmuller ε*) aliis miaſmatibus & halitibus venenatis ſcatentem, morbum noſtrum, eumque epidemicè produxiſſe enarrant. Merentur 2) huc

s) *Z. Luſitan. Prax. Hiſtor. Lib. II. Cap. III. p. 293.* t) *Horſtius Lib. III. Obſerv. X. Foreſtus Lib. XVI. Obſ. 28. Joël Oper. Med. Lib. III. Sect. I. pag. 274.* u) *Lib. de affect. pag. 621. edit. Pariſ.* x) *Ephem. Lib. I. pag. 54.* y) *Joel Oper. Med. loc. all.* z) *Sect. III. Aphor. 3.* α) *Oper. edit. Lipſ. pag. 330.* β) *Obſerv. Sect. III. pag. 310.* γ) *loc. all.* δ) *Prax. Med. pag. 869.* ε) *Praxeos loc. al.*

quoque referri errores in cibo & potu. Calidior, vini meracioris, liquorumque ardentium ingurgitationes largiores (*Williſio* ζ) & *Schenckio* η) confirmantibus) ſanguinem exagitando: viſcidus, acidus, aliaque ratione incongruus ad coagulum diſponendo, aut impuritatibus ſanguinem obruendo. pleuritidem affert, quemadmodum etiam ex muſto uberius hauſto lethalem eveniſſe *Z. Luſitanus* θ) memoriæ prodidit. In genere 3) motus & exercitia corporis nimia inter cauſas pleuritidis reputantur à *Joele* ι) *Z. Luſitano*, κ) *Sennerto* λ) *Williſio* μ) *Doläeo* ν), quatenus iisdem humores noſtri corporis plus juſto commoventur. Eò quoq; recidit, quod *Sydenham* ξ) duro fracta labore membra habentes pleuritidem facilius invadere aſſerat. Quid? annon huc quoque pertinet, quod *Bartholinus* ο) exemplum conſignavit ancillæ ex riſu nimio pleuritide affectæ. Jungimus his (4.) excretorum aut retentorum ratione, quod à ſuppreſſis menſibus in fœminis ϖ), hæmorrhoidibus in maribus ϱ) aut aliorum humorum vitioſorum, qui ad articulos deponi, aut per ulcera evacuari aliàs ſolebant, retentione σ), malum originem traxiſſe, relatum ſit. Atque tandem (5.) ex animi pathematis iram vehementiorem inter pleuritidis cauſas *Z. Luſitanus* τ) enarrat. Ex rebus *nonneceſſariis*, ut vocantur nonnullis) ictum violentiorem in latus apud *Joëlem* υ), contuſiones aut percuſſio-

---

ζ) Pharm. Rat. Sect. I. Cap. IX. pag. 103. η) Obſerv. Med. Lib. II. p. 248. θ) Prax. admirand. Lib. I. Obſ. CXVII. p. 29. ι) Oper. Med. Lib. III. pag. 275. κ) Prax. Hiſtor. Lib. II. Cap. 3. pag. 293. λ) Pract. Lib. II. Part. II. Cap. XVI. pag. 229. μ) Pharm. Rat. Sect. I. Cap. IX. p. 103. ν) Encyclop. Med. Lib. II. Cap. III. ξ) Oper. edit. Lipſ. p. 332. ο) Act. Haffnienſ. Volum. II. Obſ. LXXXV. pag. 205. π) B. Ettmüller. Prax. pag. 330. ϱ) Pract. Lib. II. Part. II. Cap. XVI. pap. 228. σ) Idem ibidem. τ) Prax. Hiſtor. Lib. II. Cap. III. υ) Joel Operum Med. Lib. III. Sect. I. pag. 274.

cuſſiones pectoris apud *Bonetum* φ), caſum ab alto apud *Z. Luſitanum* χ) ſtagnationem illam excitaſſe legimus.

XIV.

Ex rebus *præternaturalibus* cauſam pleuritidi dediſſe percipimus, quando ex metaſtaſi materiæ morbificæ, annuo ſpatio affligentis, ex glandulis ſubalaribus in membranam coſtas ſuccingentem effuſæ Act. Haffnienſ. ψ) meminerunt; aliamque à materiæ morbilloſæ retroceſſione *M. A. N. C.* ω) ex ſcabie retro pulſa A. *Luſitanus* a) & B. *Ettmullerus*, b), ab ab alvi fluxu intempeſtivè cohibito *Burnetus* c) & in ſpecie à dyſenteriæ incautâ conſtipatione *Sennertus* d) pleuritidem adveniſſe annotârunt. Vermes etiam occaſionem pleuritidis fuiſſe non uno exemplo traditur. Ventriculum enim & inteſtina in cadaveribus pleuriticorum infinitis, quæ quotidiè in Xenodochio Ferrarienſi diſſecarentur, lumbricis & vermibus tota intarcta reperta eſſe *Quercetanus* e) enarrat. Imò *Schenckius* f) puellam pleuriticam vermium plurimorum excretione liberatam eſſe refert. Videri quidem hâc ratione potuiſſent cauſam proximam conſtituere, quod iisdem remotis pleuritidem ſublatam eſſe legatur. Eos tamen inter antecedentes, & non ſine cauſa reponimus, quod vermes rodendo, & irritando equidem pleuritidem inferant, ſtagnatio verò, quæ hinc ſequitur, ex partium admorſarum ſpaſmo oriunda proximæ vicem rectiùs gerat.

XV.

Hactenus præcipuè quidem cauſas pleuritidis *veræ* e-

C nar-

φ) *Sepulchret. Anatom. Lib. II. Sect. IV. pag. 513.* χ) *Prax. Hiſtor. Lib. II. Cap. III.* ψ) *Anno 1673. Volum. II. Obſ. LXXXV. pag. 205.* ω) *Anno IV. & V. Obſ. VII.* a) *Cent. II. Cur. 62.* b) *Prax. pag. 331.* c) *Theſaur. Med. Pract. Lib. XIV. Sect. XXX.* d) *Pract. Lib. II. Part. II. Cap. XVI. pag. 228.* e) *Pharmacop. reſtit. Cap. VII.* f) *Obſerv. Med. Lib. II. pag. 242.*

numeravimus, quæ interdum etiam, præſertim antecedentes & procatarcticæ, communes ſunt eidem cum *nothâ*. Cauſa tamen continens in quibusdam differt, quatenus primô vel nulla inflammatio eſt, vel levior ſaltem & eryſipelatodes, ut loquitur *Hippocrates*, ſanguisque, ſi ſtagnaverit, fibras equidem diſtendendo, graviterque iisdem incumbendo; aut ſi acrior fuerit, pungendo etiam moleſtat, non tamen eousque evectâ ſtagnatione, ut inflammationem verè inferat. Utplurimum tamen non tàm purpura ſanguinis, quàm latex potius ejus ſeroſus, in curſu ſuo remoram inveniens, viſcidior, acriorve pleuritidem illam dictam ſpuriam cauſatur. Lentorem verò contrahit, acrimoniâ imbuitur, inque partibus figitur â cauſis in paragraphis antecedentibus recenſitis.

XVI.

Ex præmiſſis his omnibus *pleuritidem* ſatis commodè deſcribi poſſe reor *veram* per inflammationem membranæ coſtas ſuccingentis, aut partium vicinarum, cum dolore lateris alterutrius acuto, eoque punctorio, ſummâ reſpirationis difficultate, febre continuâ, utplurimum, tuſſi nunc ſiccâ, nunc humidâ, & pulſu duro atque frequente, à ſtagnatione ſanguinis oriunda. *Notha* verò nobis audiet dolor alterutrius lateris minus fixus, minùs acutus profundiusque, & ad coſtas ſpurias, atque externè magis ſitus, cum nullâ utplurimùm, rarius lentâ febre, plerumque ex ſeri, interdum etiam ex ſanguinis ſtagnatione ſed leviore, partes diſtendente & irritante genita. Hâc enim ratione utrinque & cauſam continentem, & ſigna pathognomonica, & affectui propria, quibus non modò cognoſcatur, notha & vera à ſe invicem, atque ab aliis affectibus affinibus diſtinguantur, intelligere licebit,

XVII.

Pro loci verò affecti, gradus doloris, atque cauſarum varie-

varietate, diverſæ ab autoribus conſtituuntur ac recenſentur differentiæ. Præterquam enim, quod *aliam* veram, *aliam* ſpuriam dici compertum ſit, *Galenus g)* *aliam* exquiſitam, quæ primariò pleuram, *aliam* non exquiſitam, quæ muſculos intercoſtales, *aliam* notham vocat, quando partes thoracis reliquæ infeſtarentur. Et quamvis *Sennertus h)* atque *Bellinus i)* plures adhuc deſcribant ſpecies, easdem ſicco nunc præteribimus pede, quod parùm in praxi utilitatis habeant, curamque vix videantur mutare. Ejusdem farinæ, imò ex erroneo fundamento fluens eſt, quando *Z. Luſitanus k)* *alteram* ſanguineam, *alteram* bilioſam, pro humore ſcilicet, qui illam induceret, nuncupavit. Erit tamen neceſſarium tres adhuc ejus attendere differentias, quæ ſanè in praxi conſiderari merentur. Scilicet *modò* pleuritis *alia* erit ſimplex aut ordinaria, ſolùm à ſanguine, aut ſero, plerumque à causâ evidente ad ſtagnationem diſpoſito, *alia* maligna vehementioribus aut periculoſioribus cum ſymptomatis affligens; *modò aliam* appellabimus ſporadicam, quando morbus ille ſolitariè hunc illumve invadit, *aliam* epidemicam, quando ex culpâ communi plures eodem in loco & tempore corripiuntur. Quibus addere poſſemus *aliam* endemiam, quam Ferrariæ adeò frequentem ex *Quercetano* audivimus. *Modò aliam* primariam liceat conſtituere, *aliam* ſecundariam; illam, quæ ſine alio morbo laceſſit, hanc ſymptomaticam, quando præſertim febribus, & præ aliis malignis, *tùm* ex errore naturæ materiam morbificam ad pleuram transferentis, *tùm* ex ægri culpa frigus improvidè admittentis, inque parte illâ figentis, *tùm* ex incongruitate therapiæ, ut natura in motu ſecretorio impedita,

 mi-

---

g) *Lib. V. de loc. Cap. III.* h) *Pract. Lib. II. Part. II. Cap. XVI.*
i) *Tract. de Urin. & pulſ. pag. 654.* k) *Prax. Hiſtor. Lib. II. Cap. III. pag. 302. Waldſchm. Prax. Med. 812. & 813.*

minimum non adjuta, miaſmata heterogenea eò transferat, ſupervenit.

XVIII.

Quoniam verò affectus noſter cum aliis quibusdam thoracis aliquid commune habet, diſquirendum erit, quomodo ab iisdem diſcerni queat. Maxima inter peripneumoniam & pleuritidem deprehenditur affinitas. Enimverò diſtinguuntur ab invicem non ſolummodò parte affectâ, quæ in *peripneumonia* pulmones ſunt, verùm etiam 1.) difficultate reſpirandi, quæ in peripnnumoniâ major, profundior, anheloſa, laborioſior, interna & majore cum ſuffocationis *l)* periculo conjuncta eſt, 2.) dolore, qui in pleuritidie exquiſitus, *m)* externè magis, quàm in peripneumoniâ ſentitur; 3.) pulſu, quatenus in peripneumoniâ languidiorem & inæqualem, in pleuritide duriorem *Z. Luſitanus* eſſe *n)* affirmat; 4.) ardoris ſenſus in peripneumoriâ ſecundum aſperæ arteriæ aſcenſum perſentitur, ipſasque fauces obſidet, non æquè in pleuritide. A *diaphragmatis* inflammatione eatenus differt, quod in hâc dolor circuiti *o)* ad inſtar à cartilagine xyphoide per latera ad dorſum usque ſpargatur. Ab hepatitide diſcernunt, quod dolor in hâc ſub coſtis ſpuriis, & internè quidem deliteſcat, neque adeò exquiſitus ſit, neque reſpirationis negotium tantâ cum difficultate *p)* inhibeat. Similiter & loco & ſymptomatis quibusdam à lienis & ventriculi inflammationibus pleuritis diſtinguitur. Imò à doloribus laterum ſcorbuticis atrocibus ſatis aliam agnoſcere jubet *Williſius q)*, quod in iisdem dolor non fixus ſed erraticus, brevior, ſine febre, & ſiti affligat.

XIX.

Quemadmodum verò ex ſignis in hiſtoriâ & deſcriptione

---

l) *Z. Luſit. Prax. Hiſtor. Lib. II. Cap. III. pag. 304.* m) *Waldſchm. Prax. Med. pag. 389.* n) *loc. al.* o) *Waldſchm. Prax. Med. loc. cit.* p) *Idem ibid.* q) *Pharm. Rat. Sect. I. Cap. IX. pag. 103.*

ne enarratis ad pleuritidis deducimur *diagnoſin*, imò partem affectam etiam ex iisdem coguovimus; ita nunc ulteriùs ſollicitos eſſe decet, unde cauſam & differentiam affectuum dignoſcamus. Non equidem, utrum bilis, an ſanguis potiùs peccet, inveſtigare neceſſum erit, cum erroneo fundamento inhæreant. Nudam ſtagnationem dolor diſtenſivus & minor, accedentem inflammationem ardoris & major ſenſibilitas, aliaque inflammationis accidentia propria detegunt. Ex ſero an ſanguine procedat, arduum foret decidere, partim quod pari paſſu ambulent, partim quod id quod ſanguini communiter tribuimus, non tam rubicundæ, quã ſeroſæ parti in acceptum referri debeat. Cauſæ antecedentes & procatarcticæ *tùm* res naturales, *tùm* nonnaturales, *tùm* præternaturales ex ægri adſtantiumque relatione medico innoteſcunt inquirenti, aut etiam quædam ex ſignis & conjecturis ex ipsâ ægri conſtitutione, iis quæ morbum præceſſerunt, aut in ipſo ſymptomata deprehenduntur, deſumi ſolent. Malignitatem autem ex ſubitâ virium proſtratione ſine manifeſtâ causâ, cordis anguſtiâ & anxietate, atque inquietudine inſolitâ aliisque, quæ pravitatem illam innuunt, generalioribus ſignis elicimus.

XX.

Prognoſeos ratione ſciendum eſt, pleuritidem veram, quod *durationem* concernit, acutum, imò peracutum eſſe morbum, ægrosque interdum intra paucos dies jugulare, niſi quod interdum, qui evadunt, tempore ſatis longo cum morbi reliquiis conflictentur. Quare à quibus ſtatim in initio materia purulenta rejicitur, illos tertiâ plerumque die mori, idem ſi livida, aut nigra fuerit, quinta die acidere *Hippocrates r)* notat. Si verò quartâ die alba, levia, & æqualia

 excer-

r) *Prædict. Coac. pag. 557.*

excernuntur, ſeptima aut decima quarta ſummum vigeſima terminari *Sennertus* edocet. *s)*

XXI.

Quod *eventum* attinet, morbus ſanè periculoſus eſt, multique aut ex eo pereunt, aut in gravius malum incidunt. Si aſthmaticum invaſerit, difficillimè curatur, quod pleuritis expectorantia exigat, quæ ob bronchia illic obſtructa vix operari queant, notante *Waldſchmidio t*). Ubicunque diuturnioribus morbis ſuperveniat, ſenes, mulieres gravidas, corpora cachectica *u)* corripiat, aut recidiva ſit, periculoſæ rē aleæ eſſe tradunt. Quod ſi verò in pleuritide nihil exſpuitur, aut excretio jam facta, remanente dolore denuò deſinit, tuſſis etiam ceſſat, ſingultus autem accidat, alviq; profluviū & hæmorrhagia narium adveniat, malum omen cenſetur *x)* Non tamen animum omnem ſtatim abjiciendum eſſe *Sydenham y*) monet, quod interdum circumſpecti medici tractetione curam admittat, atque ſi tuſſi & dolore ſedatis, reſpiratione emendatâ, pulſus duritiem ſuam amittat, plenam ſalutis ſpem affulgere notat *Gladbach z*), cum inprimis facilitas ſputi, aut excretionis per tuſſim, ſalutem promittat. *α)*

XXII.

Si de *eventus modo* ſolliciti fuerimus, obſervabimus terminari laudato cum ſucceſſu præcipuè per expectorationem, interdum per mictum cruentum *β*) cauſamque per diureſin judicatam, menſes *γ*) quoque rarius alvi fluxum, *δ*) quod

---

s) *Pract. L.II. Part.II. Cap. XVI.* t) *Prax. Med. pag.391.* u) *Riverius Prax. Med, Lib.VII. Cap.II. pag. 250.* x) *Gladbach Id. Prax. noviſſ. pag. 415.* y) *Oper. edit. Lipſ. p.334.* z) *Id. Prax. nov. p.415.* α) *Joël Oper. Med. Lib. III. Sect. I. pag. 275.* β) *Z. Luſit. Prax. Hiſtor. Lib. II. Cap. III. Obſ. IX.* γ) *Schenckius Obſ. Med. Lib. II. Obſ. 100.* δ) *Z. Luſit. Prax. admirand. Lib. I. Obſ. CXIV.*

quod plerumque ille noxius ab *Hippocrate* ε) habeatur. Specialius verò eundem *Sennertus* ζ) determinat, cum ait: *In eâ pleuritide, in quâ inflammatio tanta eſt, ut hepate & ventriculo in conſenſum tracto nutrimentum non benè concoquatur, ac alvi profluvium ſeu diarrhœa ſuperveniat, malum: in ea verò, ubi pleuritis non adeò gravis eſt, nec hepar, nec ventriculus in conſenſum trahantur, ob mali gravitatem aliquando bonum ſignum eſt materiâ per alvum evacuatâ, maximè, ſi coctionis ſigna adſint, nec fluxus ab aliâ causâ exiſtat.* Quod ſi verò per nullam ex memoratis viam excretio critica contingat, intra dies præſertim quatuordecim in abſceſſum deſinit, ex quo rupto pus ad cavitatem thoracis effuſum empyema, *Hippocrate* η) prædicente, infert: Sic nec vanè auguratur *Avicenna.* θ) *In quibus virus non mundificatur intra undecim dies, illis pleuritis in peripneumoniam atque phthiſin mutatur;* atque ſic ægri ex charybdi in ſcyllam incidunt; cum difficilior adhuc ex peripneumoniâ, empyemate, hâcque phthiſis ſpecie, quàm pleuritide eluctatio ſit.

XXIII.

Proinde ut *therapiam* affectui huic adæquatam adhibeamus, *aliter* aliquantum in ſpuriâ, *aliter* in verâ procedendum erit. In hâc ſcilicet *vel* curamus inflammationem, *vel* mitigamus ſymptomata. In inflammatione reſpicimus *tùm* ſtagnationem, *tùm* evacuationem, illam removendo, hanc ſi qua ſequitur, ſecundum naturæ ductum promovendo.

XXIV.

Quoad *priorem* ſcopum, ut nimirum ſtagnationi medeamur, ſanguinique iterum liberam circulationem efficiamus, cauſæ *tùm* continentis, *tùm* antecedentis habenda eſt

ratio.

ε) *Sect. VI. Aphor XVI.* ζ) *Pract. Lib. II. Part. II. Cap. XVI. p. 235.*
η) *Sect. V. Aphoriſm. 8.* θ) *Lib. III. Fen. 10. Tract. IV. Cap. I.*

ratio. Eapropter ſanguis plethorâ moleſtans, aut rareſcentiâ & orgaſmo, imminuendus & revellendus, quo tono partium, & ſyſtaltico eorum motu reſtituto, ſanguis imminutus ſine oſtendiculo per ſuos maandros fluere poſſit, & ad vaſa exinanita ſuccedens, à parte affecta avocetur, eique tantoperè non amplius incumbat. Si viſciditas peccet, reſolventia & diſcutientia neceſſaria erunt; ſi acrimonia, temperantia; ſi aliud quidpiam p. n. in partibus hæreat diſcutientibus quoque removere neceſſe eſt. In ſpecie verò ſi malignum id ipſum fuerit alexipharmaca iisdem ſocia exposcit. Quod ſi verò ob fibras diſtortas ſtrictioresve ſanguis in circulo remoram inveniat, emolliendæ, inque ordinem redigendæ; ſi autem laxiores tonoque & renitentiâ naturali deſtituantur, plusque admittant debito ſanguinis, roborandæ videntur.

XXV.

Primarium meritoque omnibus aliis anteferendum remedium eſt venæ ſectio, multorum ſeculorum experientiâ commendata atque celebrata, omnibusque, ſi primariam intelligas, indicationibus ſatisfacere viſa. Quippe ſanguinem minuit, turgeſcentem reprimit, viſcidum reſolvit, atque à parte affectâ revellit; quod enim & his poſterioribus ſcopis inſerviat obtinendis, experientia teſtatur & ratio. Illa iteratâ venæſectione fluidorem prodire, qui ſpiſſior primò fuerat, oſtendit, & partem affectam adeò evidenter deſeri notat, ut vel in ipsâ operatione, dum ſanguis è venâ ſectâ prorumpit, egregium ſolatium ex doloris lenimento, & reſpirationis quoque majore facilitate ægri capiant. Hæc reſolutionis ætiologiam atque revulſionis adjungit, quod illic per aliquantulum depleta vaſa diſtributus attenuetur ſanguis, hic ſubſidens ob evacuationem alibi contingentem à venis vacuefactis abſorbeatur, reliquisque ſic partibus tantope-

toperè moleſtus eſſe nequeat. In malignâ autem, ſive in initio fuerit, ſive febribus ſupervenerit, eandem locum vix habere profitemur, ſed tùm ſudoriferorum & alexipharmacorum opem implorandam eſſe malignitatis ſpeciei congruorum. In reliquis tamen caſibus non audiemus obſtrepentem *Helmontium*, ι) qui tanquam pro aris & focis contra V.S. uſum militat, & in illos medicos vehementer invehitur, qui eandem ſoleant concedere; multo minus verò rationibus movebimur *Gladbachii:* κ) Verum autoritate clariſſimorum medicorum, & experientiæ cynoſura eandem primum in pleuritide præſidium eſſe affirmabimus. Ipſam hanc experientiam rationibus prævalere medici illius Bononienſis exemplo, quod *Schenckius* λ) refert, luculentiſſimè demonſtrari poteſt, utpote qui à pleuritide ex venæſectione, quam antea ſcripto etiam publico prohibuerat, ex aliorum præcepto liberatus, erroriſque non ſine pudore convictus eſt. Hinc remedium tutiſſimum & maximê neceſſarium cum *Sennerto* μ), efficaciſſimum cum *eodem*, ν) *Tulpio*, ξ) *Z. Luſitano* ο), infinitisque aliis pronuntiare nulli dubitabimus. Sic *Excellentiſſimus Dn. Præſes*, Præceptor & Patronus ætatem devenerandus exemplum mihi retulit cujusdam atrociſſimâ pleuritide laborantis, qui unica, ſed largiore V.Sne in principio celebrata liberatus fuit. Quod autem neque in ſenibus, & fœminis actu menſtruatis ſecundum *Riverium* π), neque in pueris etiam trimeſtribus & quadrimeſtribus, mulieribus gravidis, imò puerperis ſecundum *Tulpium* ϱ) omitti debere, cenſeatur, cum grano

ι) *Tract. Pleur. fur.* κ) *Id. Prax. noviſſ. pag. 472. & 473.* λ) *Obſerv. Med. Lib. II. pag. 245.* μ) *Pract. Lib. II. Part. II. Cap. XVI.* ν) *loc. all.* ξ) *Obſerv. Med. Lib. II. Cap. I.* ο) *Prax. Hiſt. Lib. II. Cap. III. p. 309. & ſeqq.* ϖ) *Prax. Med. Lib. VII. Cap. II. p. 250. 251.* ϱ) *l. c.*

ſalis & diſtinctione circumſtantiarum erit interpretandum. Quapropter ea non differenda, ſed ſtatim in principio morbi, aut neglecto illo in ſtatu etiam celebranda. σ)

XXVI.

Quisnam verò venarum ſit delectus habendus, ac quamnam præ alterâ eligere conveniat, nunc diſpiciendum, cum præſertim inter ſe nondum conveniant autores, utrum in oppoſito, an in affecto latere vena ſecanda? Oppoſitum *Sennerto* τ) commodius videtur, quod etiam revulſionis gratiâ *Waldſchmidio* υ) arridet. Aſt ſequamur potiùs monitum *Hippocratis*, φ) ut proximâ viâ exitum faciamus. Revera enim cum experientiâ convenit, quod *Pergamenus* χ) tradit: *Scilicet, ſi pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris eſt, vena incidatur, evidentisſimum ſæpe numero ſubſidium oſtendit; ſin ex manu adversâ aut omninò obſcurum, aut longo poſt tempore.* Idemque nobiſcum *Williſius*, ψ) *Sydenham*, ω) *Joel*, a) *Tulpius*, b) & fermè plerique ſentiunt. Quippe breviorem venarum lateris affecti, quàm cum oppoſito communicationem eſſe, vel ipſa ratio dictitat. Cæterum in latere affecto vena in brachio eligatur. Utrum verò baſilica, an hepatica, aut mediana tundi debeat, aut una alii præferenda, rigorosè non movebimus ſcrupulum, qui novimus per omnes illas ſanguinem ad axillares concedi, mediante quâ cum interioribus partibus communicatio eſt. Ut enim ex baſilicâ ſectâ mortis cauſam c) derivare ridiculum eſt: ita contra quæcunque chirurgo ſectu

σ) *Hœferus Hercul. Medic. Lib. II. Cap. III. pag. 147.* τ) *Pract. Libr. II. Part. II. Cap. XVI. pag. 265.* υ) *Prax. Medic. pag. 392.* φ) *de loc. in homin. Cap. IX.* χ) *Lib. de cur. rat. per Sangu. Miſſ. Cap. XVII.* ψ) *Pharm. Rat. Sect. I. Cap. IX. pag. 106.* ω) *Oper. edit. Lipſ. pag. 335.* a) *Oper. Med. Lib. III. Sect. I. pag. 276.* b) *Obſervat. Med. Lib. II. Cap. I.* c) *Schenck. Obſerv. Med. Lib. II. pag. 248.*

ſectu commodior videbitur, eodem cum effectu aperietur. Quod ſi tamen ex menſium ſuppreſſione pleuritis venerit, in talo, aut poplite venæſectionem adornare à *Sennerto d)* non incongruè præcipitur.

XXVII.

In quantitate verò ſanguinis mittendi determinandâ inter ſe variant autores. Nonnulli enim usque ad animi deliquium ſanguinem fluere concedunt, notante *Williſio, e)* cui non diſplicent phlebotomiæ primâ aut quâque deinceps vice plenius celebratæ, quàm parciores ſæpiùs repetitæ. Alii, ex quibus præcipuè *Joel, f)* tamdiu venam ſtillare præcipiunt, usque dum color ſanguinis emanantis immutetur. Ad quatuor libras extractum fuiſſe *Schenckius g)* refert, *Sydenham h)* uncias decem permittit, ſeque obſervaſſe teſtatur in adultis raro pleuritidem ſanatam fuiſſe minori, quàm quadraginta circiter unciarum impensâ. *Zacutus Luſitanus* ad uncias octo ſanguinem detrahere jubet. *i)* Mihi hic placet conſilium *Sennorti k)* dicentis: *Quantum verò ſanguinis mittendum, ex ejus copiâ & ægri viribus, earumque robore æſtimandum eſt.* Nimirum largior aliquantum, utplurimum ad uncias ſex aut octo venæ ſectio erit commoda. Et quemadmodum ex levamine mox ſubſequente finiendum eſſe intelligimus; ita contra ex doloris perſeveratione, uberiorem concedendam, iterandam, imò reiterandam obſervamus. Singulare eſt, quod *Sydenham l)* notat, ſanguinem, ſi cum ſal-

tu

d) *Pract. Lib. II. P. II. Cap. XVI. p. 243.* e) *Pharm. Rat. Sect. I. Cap. IX. pag. 105.* f) *Oper. Med. Lib. III. Sect. I. p. 276.* g) *Obſ. Med. Lib. II. pag. 242.* h) *Oper. edit. Lipſ. pag. 335.* i) *Lib. II. Prax. Hiſtor. Cap. III. pag. 316.* k) *Pract. Lib. II. Part. II. Cap. XVI.* l) *Oper. edit. Lipſ. pag. 334.*

tu proſiliat,plus levaminis afferre, quàm ubi in cute veluti ad cubitum ſerpat,& guttatim in pelvim de pluat.

XXIIX.

Equidem vicarias phlebotomiæ vices nonnunquam ſubire jubent cucurbitulas ſcarificatas, quas *Williſius m)* ſi venæſectio ob pulſum debilem & functionis animalis languorem locum non inveniat, *Riverius n)* autem ipſi loco dolenti, ſi dolor nimium urgeat applicare mandat; eoque crebriùs,majorique numero repetendas eſſe,quo minori,ſaltem non adeò ſubitaneo cum virium diſpendio res agenda ſit,notat *Dolæus. o)* Enimverò quamvis venæſectioni affines ſint, neque adeò vires exhaurire dicantur; indicationi tamen 1.) adeò expeditè non ſatisfaciunt, & tàm brevi tempore ſolatium concedunt, 2.) difficilior earum eſt adminiſtratio, quod incaleſcentia illa, quâ opus eſt,febrem ſimul intenſura ſit,& 3.) in parte dolente tùm ſcarificatio, tùm cucurbitularum applicatio minus commodè adhiberi poſſit. Sic etiam hirudines venis hæmorrhoidalibus ex præcepto *Z. Luſitani p)* venæſectioni non erunt æquiparandæ, niſi forte earundem ſuppreſſio, aut tumor ſpecialiùs aperturam efflagitent.

XXIX.

Poſt venæſectionem,aut loco illius apud antiquos quosdam practicos non ſolùm purgationem *κάτω*, ſed *ἄνω* etiam commendatam legere eſt. Et quamvis inveniantur, qui excitato vomitu per emeticum ſtibiale pleuritidem ſolutam fateantur, id tamen ex accidenti potiùs,quàm certo eveniſſe

B.Ett-

---

m) *Pharm.Rat. Sect.I. Cap.IX. pag. 106.* n) *Prax. Med. Lib. VII. Cap. II. pag. 250. & 251.* o) *Encyclop. Med. Lib.II. Cap. III. p.m. 287.* p) *Prax. Hiſt. Lib.II. Cap. III. pag. 311.*

B. *Ettmuller q)* putat. Uti enim violentâ, quæ fit in vomitu, concuſſione ſanguinis ſtagnatio ſolvitur; ita pari facilitate, imò faciliùs eadem augeri valet, ut taceam doloris exacerbationem, quod naturam in ſuo officio ſecretorio turbari moneat *Williſius r)*. Purgantia verò quod attinet, ea cæteris paribus cum B. *Ettmullero* in declinatione morbi concedi poſſunt *s)*. Frequentior itaque commodiorque enematum uſus eſt, quæ à *Joele t)*, *Williſio u)* & *Sydenhamio x)* tùm primas vias à ſaburrâ liberandi, tùm revellendi, tùm temperandi, tùm impetum ſanguinis coercendi ergò injiciuntur, atque hinc modò ex emollientibus, imò etiam ſimplice lacte ſacharato, modò ex acrioribus & abſtergentibus parari & alternis diebus applicari ſolent.

XXX.

Orgaſmum humorum nimium refrænant 1.) medicamenta nitrata, lapis prunellæ, nitrum perlatum, *y)* antimoniatum, cum ſulphure aut carbonibus fixatum, panacea Holſatica, ſive nitrum vitriolatum Mynſ. 2.) præcipitantia communiter dicta, *tùm* marina e.g. corallia, mater perlarum, *tùm* partes animalium oſſeæ, corneæ, teſtaceæ, *tùm* calces antimonii ſimplices, vel cum ferro vel cum jove paratæ, in antimonio diaphoret. & bezoardico minerali, atque antihect. Poterii. 3.) cinnabarina, nativa ſcilicet & antimonii, & ob easdem ſpecificum cephalicum D. M. 4.) emulſiones ex ſeminib. card. benedict. & Mar. quæ reſolvendi quoque imò & temperandi vi pollent, quin præſertim in hunc ſimul finem, ex ſemin. 4. frigid. major. & minor. atque papaveris albi con-

 fectæ

q) *Oper. Med. pag. 334.* r) *Pharm. Rat. Sect. I. Cap. IX. pag. 106. & 107.* s) *loc. al. pag. 334.* t) *Oper. Med. Lib. III. Sect. I. pag. 276.* u) *loc. cit. pag 107.* x) *Oper. edit. Lipſ. pag. 337.* y) *Waldſchmid. in not. ad Prax. Barbett. pag. 393.*

fectæ: 5.) opiata z) ſub formâ laudani opiati vulgaris, cydoniati Langel. Eſſentiæ tum ordinariæ, tùm ad mentem *Sydenhamii* cum vino malvatico factæ, laudan. hyſteric. ejusque eſſentia, quibus theriaca cœleſtis accedat. In quorum tamen uſu cautè & ita procedamus, ut in initio & urgente dolore eadem facilius concedamus, quàm cum expectoratio imminet α), quod in quibusdam ſubjectis ex opiatorum uſu eadem ſupprimatur.

XXXI.

Viſciditatem reſolvere & hærentes in tubulis partes diſcutere ſolent 1) tum quæ acidum coagulans, ſi adeſt, corrigunt ſuperius allegata præcipitantia, quibus ſalia herb. fixa card. Mar. & benedict. & reliqua aſſociamus, utpote quæ vi reſolvendi egregiâ gaudent. 2) volatilia tum ſalia aut ſpir. urin. tum ſulphurea, ſpir. ardentes, & eſſentiæ, ſed parcius utraque, & nonniſi reliquis medicamentis intermixta, exhiberi debent. 3) His aſſociamus ſperma ceti, β) quod egregiâ non modò reſolvendi, ſed & temperandi facultate viget, præſertim cum præcipitantibus aut cinnabarinis ſubactum. 4) cuncta diaphoretica & ſudorifera, de quibus poſtea.

XXXII.

Acrimoniam temperant, & ſimul ſpaſmodicam fibrarum contractionem tollunt, 1) emulſiones jam ſupra commemoratæ, 2) antiſpaſmodica, tum præcipitantia, cum ſuccin. alb. præp. tum exinde compoſita. e. gr. pulv. marchion. ſpecif. cephal. 3) decocta diluentia & lenientia: 4) externa emollientia, de quibus utrisque in ſequentibus.

XXXIII.

z) *B. Ettmüller. Prax. Med. pag. 334.* α) *Idem Ibid.* β) *Waldſchm. Prax. Medic. pag. 393.*

XXXIII.

Quinimò ad alterutram, aut cunctas memoratarum indicationum facilè referre licebit, quæ tanquam ſpecifica in hoc affectu à nonnullis laudantur, e. g. ſimpliciora, dens apri, ejusque raſura, cinis priapi tauri, vel cervi γ) oculi cancror. dens caſtor. mandib. luc. piſc. aut cruces ex capitibus ejus exemtæ, lap. perc. carp. tal. lepor. ebur ſine igne δ) C. C. ſine igne, ſanguis hirc. & leporis, ε) ſtercus columbinum & equinum, quod *Boyleus* ζ) per aliquod temporis intervallum in cereviſiâ ſimplici, aut liquore convenienti alio ad ſuccum faciliùs eliciendum, maceratum exhibet. &c. Vel quæ exinde varia compoſita proſtant e.g. pulv. pleurit. Auguſtan. ſecretus *Mynſicht.* fuliginem & pulv. pyrium *Riverius* η) & B. *Ettmüllerus* θ) ſcribunt pleuritidem curaſſe. Mixtura ſimpl. & Tinctura Bezoard. ι) ſpiritus antipleurit. *Rolfincii*, Tinctura antipleurit. *Timæi*, κ) *Ludovici* &c.

XXXIV.

Internis hisce & reſolventia quædam, atque diſcutientia, & lenientia, atque temperantia externa junguntur, partim, ut illa partibus quibusdam volatilibus & acribus, fibras & roborent & coagulum reſolvant, partim rigidas fibras emolliant, eisque tonum reſtituant, nunc alterutra, nunc inter ſe mixta, e. g. ſpiritus matricar. vini & theriacal. camphor. unguent. martiatum cum oleis terebinth. cumin. juniper. & camph. à *Gladbachio* λ) mixtum, nervinum cum oleis phi-

γ) *Riverius Prax. Med. Lib. VII. Cap. II. pag. 251.* δ) *B. Ettmüller. Prax. pag. 334.* ε) *Idem loc. al.* ζ) *de Utilit. Philoſoph. natural. pag. 223.* η) *Obſ. Cent. II. Obſ. 79.* θ) *Prax. Med. pag. 334.* ι) *Burnet. Theſaur. Medic. Pract. Lib. XIV. Subſect. V. pag. 464.* κ) *Waldſchm. Prax. Medic. pag. 395.* λ) *Id. Prax. noviſſ. pag. 475.*

philoſophor. & ceræ, μ) pleuriticum, ſeu pectorale filior. Zachariæ ν) unguent. pleurit. *Mynſicht.* dialth. diaſulphuris & balſamus ſulphuris Rulandi *B. Ettmüllero* ξ) placent. Unguentum pomatum & dialth. *Sydenhamius* laudat, ο) quod etiam efficaciùs redditur, ſi tantillum camphoræ illi addatur. Emplaſtra de cumin. π) de ruta, de minio, & dialtheæ à *Z. Luſitano* ρ) commendantur. Emplaſtr. diaphoret. *Mynſicht.* de ſpermat. ceti σ) de meliloto. τ) Fomenta & cataplasmata ex decoct. violar. malv. parietar. chamomill. fœnugr. aneth. υ) flor. ſambuc. & melilot. ſem. cumin. & carvi, φ) item ex cremore avenæ in aqua aut lacte cocto, cum ol. lil. albor. quorum tamen uſus cum ſummâ prudentiâ fiat, ne refrigerata plus noxæ, quàm emolumenti afferant. Species potiùs ejusmodi aquæ ſimpl. incoctas in utre aut vaſe æneo parti dolenti *Deckerus* χ) applicari præcipit.

XXXV.

Quod *poſteriorem* intentionem attinet, evacuationem naturæ conformem promovere convenit, quod raró id quod ſtagnavit ad congruitatem naturalem redigatur, imò etiam interdum impuritates ſimul admixtæ excretionem deſiderent. Communiſſima & præ aliis neceſſaria, atque huic morbo familiaris eſt expectoratio, quam ſummo ſtudio facilitare & promovere neceſſe eſt, niſi ex ejus ſuppreſſione incommoda ſuperius memorata metuere velimus

---

μ) *Waldſchm. Prax. Med. pag. 48.* ν) *Z. Luſit. Prax. Hiſtor. Lib. II. Cap. III. pag. 312. & 313.* ξ) *Prax. Medic. pag. 334.* ο) *Oper. edit. Lipſ. pag. 336.* π) *Waldſchm. Prax. Med. pag. 48. & 49.* ρ) *Prax. Hiſtor. Lib. II. Cap. III. pag. 312. & 313.* σ) *Waldſchm. Prax. Med. pag. 49.* τ) *Thonerus Obſerv. Med. Lib. III. Obſerv. I. & ſeqq.* υ) *Z. Luſit. Prax. Hiſt. loc. al.* φ) *Decker. Exerc. Med. Pract. p. 310. & 311.* χ) *Idem ibid.*

mus. Quanquam etiam *Sydenhamius* id negotium ſoli naturæ relinquat ψ), rectius tamen agere mihi videtur, qui remediis debitis eandem ſublevat. Attamen non in initio ſtatim exhibenda eſſe expectorantia *B. Ettmullerus* monet ω), quia dum tuſſim ſtimulant, concuſſiones pleuræ inferunt, quibus in principio dolor magis exaſperatur, quàm imminuitur, præſertim cùm & hæc excretio coctio quædam naturæ ſit, quæ aliquam moram poſtulat. Variant autem expectorantia ejusmodi pro diverſitate materiæ. Si enim viſcida, tenax, firmiterque hærens fuerit, reſolventia poſtulantur, quibus muci abſterſio facilitari poſſit. Ejusmodi ſunt ſpirit. ſal. ammon. ſuccinat. fœnicul. aniſ. ſaſſafratus, vel cum gumm. amm. ad mentem *Williſii* factus, flor. benzoë *a*) pulveres & ſyrupi ex fœnic. hyſſop. capill. ven. marubio &c. parati, ſuccus raphan. oxymel ſcylliticum. Si verò ſernm acre & nimis fluidum ſit, temperantia & incraſſantia, utpote, quæ eo ipſo ad ejectionem diſponunt, quod tenuius diffluat, nec rejici poſſit. Talia ſunt terrea ſerum abſorbentia, terra ſigill. lemn. bolus armen. unicorn. foſſil. vel mucilaginoſa, tragacanth. miv. cydon. ſacharata, ſyrup. violarum, jujubinus, ſaccharum penidium aut cantum in ore volutatum, oleoſa, oleum amygd. dulc. recenter expreſſum aut lini, quod ſolum cum ſaccharo aut oſſib. luc. piſc. pulveriſatis *Juncken b*), aut cum pulv. dent. apri, quod *Schenckius* commendat *c*) oleum lumbric. terreſtr. anethin. & diapalmæ, *Waldſchmidt* laudat. *d*) Neque etiam omittendi ſunt flor. ſulphur. qui acrimoniam temperandi & incraſſandi vi egregiâ pollent. Varia autem jam proſtant compoſita

ψ) *Oper. edit. Lipſ. pag. 337. 338.* ω) *Prax. pag. 334.* a) *Gladbach. Id. Prax. noviſſ. pag. 474.* b) *Prax. Med. pag. 879.* c) *Obſerv. Med. Lib. II. pag. 246.* d) *Prax. Med. p. 394.*

e. g. ſpec. diaireos, diatragacanth. aut parantur decocta ex hyſſopo cum mell. roſat. à *Jungkenio e*) ex hordeo cum rad. glycyrrhiz. helenii ſcabioſ. à B. *Ettmullero f*) aut ex ſpec. pectoralibus à *Sydenhamio. g*)

XXXVI.

Hoc equidem utplurimum accidit, ut per anacatharſin morbus hic ſolvatur, alias tamen interdum natura vias & evacuationes, vel loco illius, vel cum eâ intendit, quam ſequi, ejusque motus criticos promovere ſummoperè congruit. In malignâ enim præſertim alexipharmaca remedia miaſmati huic debellando convenientia erunt ſeligenda, in volatili ſcil. & cauſtico figentia & temperantia, aſt in narcotico & ſoporoſo excitantia. In cæteris verô caſibus utplurimùm diaphoreſis, interdùm quoque diureſis indicatur, quando per vias easdem naturam evacuationem moliri cernitur. Utramque verò paginam tùm explebunt nitrata, præcipitantia, & calces antimonii ſuperiùs recenſitæ. Similiter, quamvis rariſſimè criticè alvum ſolvi conſtet, ſi vero id accidat, uno alterove diagrydii grano præcipitantibus adjecto illum naturæ motum juvare convenit.

XXXVII.

In *Symptomatum* urgentiorum mitigatione eminet 1.) febris, cui domandæ eadem modò recenſita præcipitantia & nitrata ſuperius ſpecialiùs expoſita itidem proſpiciunt. 2.) Dolor, quem internè emulſiones temperantes, atque moderatus anodynorum & opiatorum uſus: externè linimenta temperantia ſuperius quoque deſcripta auferunt, ut taceam,

e) *Prax. Medic. pag. 878.* f) *Prax. pag. 334.* g) *Oper. edit. Lipſ. pag. 337.*

am, cauſâ, ipsâque inflammatione ceſſante, dolorem quoque tanquam effectum deſinere & mitigari. Reliqua enim Symptomata, e. g. dyſpnœa, tuſſis & ſimilia vix niſi eâdem remotâ, ſpecialiùs aggredi aut ſuperare licebit.

XXXVIII.

In quibusdam convenit, in quibusdam aliquatenus differt *nothæ* pleuritidis curatio. Venæ ſectio etenim tàm univerſaliter, quàm in verâ non deſideratur. Quippe eâdem ſuperſedere poſſumus, niſi ſtagnatio ſeri ſanguinisque major fuerit, cui utrique tanquam remedium illud præſentiſſimum auxilium affert, & quidem in latere affecto instituta, *h)* ſin minus diaphoreticis & reſolventibus ſolis, quæ huic deinceps ſuccedunt, æquè ac in catarrhis mederi posſumus, niſi quod ubi nullus eſt æſtus, ſed viſcidum inſigne, volatiliora plus quàm in verâ expetantur. Neque tamen etiam incommodum erit in eâdem laxantibus hydragogis & phlegmagogis ex maſſ. pil. de ſuccin. Craton. de agaric. cum mercurio dulc. mixtis, & reſin. jalapp. ſtimulatis, aut etiam cremore Tartar. aut arcan. dupl. purgante ſtimulo acuatis uti, & euphoriam exinde ſequi experientia loquitur. Non tamen opus erit, ut cum *Fernelio i)* cucurbit. phœnigmos & veſicatoria parti applicemus, quod prioribus malum cedere ſoleat.

XXXIX.

Juſtum tandem diætæ regimen tùm ægrum actu laborantem, tùm præſervationis & recidivæ præcavendæ ergò ſervare neceſſitas poſtulat. Aerem temperatum *Z. Luſitanus*

h) *Hœfer. Med. med. familiar. pag. 458. & 522.* i) *Patholog. Lib. V. Cap. XI. pag. 116.*

nus k) efflagitat, qui præſertim frigore moleſtat. Eſu carnium ratione cibi interdicit *Sydenhamius l*), pejusque ex iisdem ægros ſe habere notat. Juſcula idcircò potiùs hordeacea avenacea & ſimilia commendat, quatenus & cremorem hordei præſtantisſimum alimentum eſſe *Sennertus m*) comprobat. Vinum in hoc morbo inſtar veneni eſſe practicorum obſervationes teſtantur. Nec errabit, qui potus ordinarii loco, decoctum hordei*cum radice liquirit. aut decoctum C. C. cum rad. ſcorzoneræ exhibet. Eundem in finem aqua hord. cum cinam. & paſſul. minorib. *Sennertus*, *n*) decoctum hordei & C. C. cum florib. papav. errat. pro infuſione ſtercoris equini *Jungkenius o*), ptiſanam etiam ex decocto hordei cum rad. acetoſ. liquirit. ac nonnunquam cum cereviſia lupulatâ tenui *Sydenhamius p*) commendant. Alvus licet fluere vix debeat, aperta tamen omni ſtndio clyſterum injectione ſervanda eſt. Vigilias infringent emulſiones anodynæ, quod ſomnus hic inductus monente *Z. Luſitano p*) egregiè leniat. Omnem corporis agitationem pariter ac animi commotiones *r*) ſummo ſtudio evitet.

---

k) *Prax. Hiſtor. Lib. II. Cap. III. pag. 305.* l) *Oper. edit. Lipſ. p. 335.* m) *Pract. Lib. II. Part. II. Cap. XVI.* n) *loc. all.* o) *Prax. Med. pag. 880.* p) *Oper. edit. Lipſ. pag. 335. & 336.*

q) *Prax. Hiſtor. Lib. II. Cap. III. pag. 305.* r) *Sennert. Pract. Lib. II. Part. II. Cap. XVI.*

S. D. G.

(o)